SACRA

NATALITIA

SEREN. DUCIS SAXON. GOTH. ALTENB.

AEMILII LEOPOLDI AUGUSTI

IN

ILL. GYMNASIO FRIDERICIANO ALTENB.

A. D. IX. CAL. DEC. POST HORAM VIII ET DIMID. MATUT.

PIE CELEBRANDA

INDICIT

AUGUSTUS MATTHIAE

D. PHIL. SEREN. DUCI GOTH. A CONSILIIS ECCLES. ET SCHOL. DIRECTOR GYMNASII.

1821

De ratione tractandae Graecorum mythologiae.

ALTENBURGI.

E TYPOGRAPHEO AULICO.

21

Mythologiae Graecae explicatio quantas ab omni tempore turbas dederit et quae negotia facessiverit Viris doctis, Graecorum commenta ad sanioris mentis iudicia revocare laborantibus, quamque diversas in partes illi discesserint, nemo est, qui ignoret. Quae studia nullo tempore intermissa nostra aetate ita revixerunt, ut nunquam maior doctrinae variae copia, plusque acuminis, quantum imprimis a Creuzero*) ad mythologiam collatum esse recte dici possit. Intellexit enim nostra imprimis aetas, non satis esse, ea, quae de quaque re tradita sunt, accurate tenere, nisi etiam, quem illa ortum, quas causas habuerint, diligenter indagaveris. Sed habet tamen haec res nonnullas cautiones. Et primum quidem negari nequit, mythologiam ex iis rebus esse, quae, ut totius antiquitatis cognitio, ex idoneorum testium auctoritate pendent et historica fide censentur. Itaque, ut ea, quae ad antiquitatem spectant, non in unum omnia locum congesta complectimur, sed tempora diversa distinguimus, nec quae forma reipublicae Periclis aetate Athenis fuit, eam cum Solonis descriptione confundimus, sic in mythicis etiam diligenter attendendum est, quid sin-

*) *Symbolik und Mythologie. Leipz. u. Darmst.* 1819—21. T. I—IV. 8. Constat 21 thal.

gula tempora extulerint, et fedulo cavendum, ne, quae in tragicis, vel ferioribus etiam poëtis legimus, ea Homero vel Hefiodo affingamus. Sed hunc locum iam J. G. Voffius, imprimis in Bacchi fabulis, egregie tractavit. Multum autem intereft, utrum fabulas omnibus aetatibus excogitatas colligas, et collectas uno adfpectu iudices, an quae diverfis temporibus de deo aliquo narrata funt, expendas et inter fe discernas. Qui Herculis fabulas in Apollodori bibliotheca perluftraverit, facile in eam poteft opinionem venire, ut Herculem ex Aegypto vel Phoenicia advectum Solem duodecim figna orbis figniferi permeantem repraefentare credat; qui eas fabulas inde ab Homero usque ad Alexandrinos temporibus discreta perfecutus fuerit et perfpexerit, quam aut nihil aut pauca in antiquis poëtis infint, quae ad Aegyptiacas aut Phoenicias origines referre *neceffe fit*, cogitaverit etiam, numerum duodenarium laborum in Alexandrinis demum fcriptoribus inveniri, et figniferi orbis cognitionem fero inter Graecos exftitiffe, is non poterit non dubitare, an illa explicatio vera fit, eamque ex Alexandrinorum infelici antiquas fabulas ad fuas et popularium notiones accommodandi ftudio manaffe non iniuria fufpicabitur. Similiter is, qui e philofophorum, grammaticorum, mythographorum auctoritate pendet, Apollinem non alium effe quam Solem facile fibi perfuadebit; nil minus verum effe intelliget is, qui, quid Homerus, quid Lyrici, quid antiquiores fcriptores omnes de eo prodiderint, animo ab interpretum hariolationibus adhuc integro et libero cognoverit. At, inquiunt, antiqui poëtae non omnia, quae de diis fentiebant, dixiffe putandi funt, fed ea tantum, quae confilio fuo et argumento confentanea effent, et facile fieri potuit, ut Alexandrini vel ex litterarum monumentis nunc deperditis, vel ex fama populari vel alia quacunque ratione refcifcerent, quae poëtae illi vel eorum aequales praeter ea, quae fcriptis confignata funt, de diis cognoverint. Sed, ut mittam, ex eo, quod fieri aliquid potuit, concludi non poffe factum effe, quid magis a feveritate *criticae hiftoricae*, quam vocant, abhorret, quam ea pro conceffis et exploratis fumere, quae nullo modo probari posfunt? ut non multum illa ratiocinatio diftare videatur a ratione Fesleri, ingeniofiffimi alioqui et elegantiffimi fcriptoris, qui in praefatione Alexandri M vitae a fe confcriptae praemiffa non effe teftimonia rerum, quas narres, anxie conquirenda dicit; multas effe in omni hiftoria lacunas, quas ex ingenio et coniectura expleri oporteat. Itaque in mythologia tractanda illud diligentiffime explorandum cenfeo, quid quaque aetate de deo aliquo fenferint et commenti fint homines. Operofior ifta via eft, fateor, et maioribus difficultatibus obfepta, quam ea, qua, contextu aliquo mythorum diverfis temporibus ortorum facto,

ſi quid in iis occurrerit, quod ſimile ſit peregrinarum religionum commento, ſtatim illud ex hoc ductum eſſe opineris, nil curans, an eo tempore, quo is mythus ortus eſt, aliquid iam de religionibus peregrinis ad Graecos pervenerit. Sed ubi, quid verum ſit, quaeritur, nihil nimis difficile videri debet.

Aliud eſt ei, quod modo commemoravi, conſimile, quod adeo toti quaeſtioni de mythologia pro fundamento ſubiicitur: contendunt enim, puriorem olim religionem inter homines viguiſſe, ex qua eae, quae nobis innotuerunt, religiones manarint, ſed ita ut temporum decurſu depravarentur, et non niſi levia quaedam priſtinae integritatis veſtigia retinerent; his igitur veſtigiis inſiſtentem ſenſum, qui ſub Graecorum commentis abditus eſſet, eruere oportere. Haec ſententia non modo nullo ſolido fundamento ſubnixa eſt, et ne probari quidem ullo modo poteſt, ſiquidem quod ante hominum memoriam factum eſſe fingitur, nulla memoria hominum confirmari poteſt, ſed repugnat etiam hiſtoriae, quae homines ubique a fera agreſtique vita ad humanitatis cultum proceſſiſſe docet, niſi forte aliquis narrationes de Paradiſo vel de aurea hominum aetate hiſtoriae fide niti, ac non potius ab hominibus ad faſtidium praeſentium temporum leniendum et animum imagine vitae ab omni labe immunis oblectandum fictas eſſe cenſet, vel Ciceroni credit, qui Tuſc. Qu. I, 12, 26. *antiquitatem, quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortaſſe, quae erant vera, cernere* dicit. Ingenioſe illa excogitata eſſe dicas; ſed pro fundamento rerum ad leges hiſtoriae exigendarum nullo modo haberi poſſunt.

Imprimis autem in hoc poſita fuit eorum, qui fabulas antiquorum explicandas ſuſceperunt, induſtria, ut, quae Graeci de diis et ſentirent et docerent, ea aliunde adſcita et ex Aegypto, Phoenicia, toto Oriente advecta eſſe contenderent. In quo primum hoc mirari ſubit, quod, quum Graecos, qua erant ſolertia, omnes fere artes ac litteras imprimis poeſin vel ex ſe ipſis extuliſſe et divina ingeniorum vi ipſos excogitaſſe, vel quae aliunde acceperant, meliora feciſſe fateantur et ad ſui ingenii habitum ita accommodaſſe, ut haec etiam propria iis, non ab aliis ſumta, eſſe videantur, ad religionem tamen, quae hominum etiam rudium animos ſua vi maxime movet, tam hebetes fuiſſe arbitrantur, ut nihil per ſe ſaperent, ſed ipſa eius fundamenta ab aliis peterent. Sed hac etiam ex parte fides hiſtorica vacillat. Quam nihil ſimilitudinis inter Graecorum et Phoenicum ſuperſtitionem intercedat, quamque vix credibile ſit, Graecos aliquid e Phoenicum religionibus ad ſe tranſtuliſſe, egregie nuper demonſtravit

V. S. R. Paulus *); Cecropis vero, Danai, Cadmi in Graeciam adventum non nisi seriorum scriptorum testimonio, si testimonium dicere potest is, qui multis seculis rebus, quas factas narrat, posterior fuit, horum igitur sive fictione sive credulitate niti, C. Od. Müller **) ita indicavit, ut narrationes de coloniis ab hominibus illis in Graeciam deductis valde dubiae redditae sint; idem optime ostendit, Aegyptios, ex quo Psammetichus mare iis patefecerit, et Graecis non aditum modo aperuerit, sed sedes etiam concesserit, id est annis circiter 656 ante Chr. n. multa a Graecis transsumsisse, eaque postea Graecis pro suis et apud se natis venditasse, adiuvantibus ipsis Graecis, vel ut fabulis suis a gente omnium antiquissima maiorem auctoritatem conciliarent, vel insita levitate, qua externa admirari, sua minus curare solebant ***). Hinc intelligi, quam facile a sacerdotibus Aegyptiis in errorem induci potuerit Herodotus, qui non ante annum 464 a. C. n. i. e. ducentis paene annis post Psammetichi regnum, Aegyptum adire potuit. Itaque nec Herodoto in iis, quae de religionibus ex Aegypto in Graeciam translatis ex sacerdotum narrationibus potius, quam e suo iudicio ****) tradit, ubique fides haberi potest (ut nec habent ii, qui religionis Graecorum originem, undique potius, quam ex ipsa Graecia, repetunt, sed alia ratione ducti, ne quae ipsi e Phoenicum, Phrygum, Persarum, Indorum religionibus hausta esse sibi persuaserunt, contraria Herodoti auctoritate labefactentur) nec Herodotus ipse tradit ea, quae isti tanquam ab eo tradita et gravissimi historici fide sustentata ponunt, siquidem ille non ipsos deos, sed nomina tantum deorum, *τῶν θεῶν τὰ οὐνόματα*, ex Aegypto in Graeciam translata dicit. Multo minor fides haberi potest Platoni, quippe qui non ad historiae leges exigens ea, quae tradit, sed ad mythos, quos vocat, excogitandos proclivis, materiam his mythis idoneam undique conquirit, et ingeniosissime poëtica quadam ingenii vi fingit, quae proposito conveniant. At, dicet aliquis, ubi non ipse diserte addit Plato, se *μύθους, ἀλλ' οὐ λόγους* narrare, ibi nulla causa est, cur

---

*) *Annal. Heidelb.* 1821 Nr. 35 sqq.

**) *Geschichten hellen. Stämme und Städte.* I. Th. p. 106 sqq. in cuius libri plurimis partibus egregia *crisis historicae* specimina insunt.

***) Pauf. IX, 36 p. 783 Kuhn, *Ἕλληνες δὲ ἄρα εἰσὶ δεινοὶ τὰ ὑπερόρια ἐν θαύματι τίθεσθαι μείζονι ἢ τὰ οἰκεῖα.*

****) *λέγω δὴ τὰ λέγουσι αὐτοὶ Αἰγύπτιοι*, Herod. II, 50. qua formula fere dubitationis aliquid significat scriptor candidissimus et veri studiosissimus.

eum *μύθους* narrare credamus. Verum; at non magis probari potest, ubi nihil eiusmodi adiiciat, ibi eum *λόγους* potius, quam *μύθους*, afferre voluisse.

Sed, missis historicis istis argumentis, eam internam esse religionum Aegyptiacarum, Persicarum, Indicarum cum Graecis similitudinem, ut alteros ab alteris sua sumsisse, Graecos ab Orientis populis, appareat. Lubricus hic locus est, et in quo errandi ampla materies suppetat. Non continuo enim, ubi duo inter se similia atque adeo plane gemina sunt, alterum ex altero ductum existimare licet, quamvis difficile sit, quando similitudo cognationem arguat, quando non arguat, distinguere. Ut paucis exemplis defungar, quae innumera fere afferri possunt, regni *Cabul* dicti, quod inter Persiam et Indiam interiectum est, ea instituta commemoravit peregrinator Anglus Elphinstonius, quae Atheniensium institutis quibusdam miro modo respondent*); num idcirco Cabulitanos ea ab Atheniensibus, fortasse cum Alexandro M. eo delatis, accepisse credamus? Erant hac quondam levitate grammatici seu philologi, ut, quum scriptorem aliquid dixisse viderent, quod antiquior dixerat, statim antiquiorem a recentiore imitatione expressum esse dicerent, et si quis *tempus esse cubitum eundi, quia nox esset*, dixerat, hoc eum dicere non potuisse, nisi Homericum illud legisset *νὺξ δ᾽ ἤδη τελέθει, ἀγαθὸν καὶ νυκτὶ πιθέσθαι*, suspicarentur. Sed, ne longius a proposito aberrem, Hebraei secundum libros Mosaicos deum suum de coelo descendentem, cum hominibus versantem et colloquentem, nonnunquam forma humana indutum, nidore sacrificiorum se oblectantem, irascentem etiam, occaecantem eos, quos perdere vellet, eodem modo faciebant, ut Graeci Iovem, Neptunum, Apollinem, alios, neque tamen cuiquam, quod audiverim (nam in litteris orientalibus hospes sum) in mentem venit, Graecorum de diis opiniones ab Hebraeis derivare, nec quemquam futurum spero, qui id facere conetur: nam populos in eodem vel humanitatis vel immanitatis gradu constitutos, quamvis nullis commerciis inter se iunctos, tamen iisdem moribus, institutis, opinionibus uti par est. Quod magis etiam fieri necesse est, quum homines, nondum agricultura, legibus, disciplinis et artibus exculti, sensibus omnia metiuntur. Hi enim suos sibi deos ad suam similitudinem effingunt, corporis tantum viribus praestantiores, quippe auctores omnium et bonorum et incommodorum. Itaque interna illa similitudo non multum valet ad eam coniunctionem demonstrandam, qua aliud ex alio oritur. Quo si accedit, ut simili-

*) vid. *Neue Bibl. der Reisebeschr. Weimar* 1817. I. Cent. 2, t. 9. p. 269 sqq.

tudo illa abdita lateat, et non nisi machinis quibusdam adhibitis erui possit, magis etiam minuatur illa opinionum ab alia ad aliam gentem translatarum suspicio necesse est. Omnino nulla umquam similitudo tanta esse potest integro veritatis exploratori, ut, si duo inter se vel simillima esse videat, ex hoc uno alterum ex altero ortum esse colligat, nisi antea laborem susceperit exquirendi, qua ratione ea ab alio ad alium populum transierint. Neque vero nego, religionibus Graecorum multa ex Aegypto, Phoenicia, Phrygia petita admixta fuisse; tantum originem illarum ex his terris repetendam esse, dum graviora argumenta afferantur, non credo. Nulla enim gens tam stupida et excors unquam fuit, quin per se deos quosdam, etsi ad suam vitae, morum, ingenii similitudinem effictos, at deos tamen se validiores ac potentiores, ad quos, tanquam auctores, et commoda et incommoda, quibus ipsi afficerentur, referrent, quosque muneribus et ritibus quibusdam placare possent, animo sibi formaret. Sic igitur Graecos etiam, in quorum animis semina praeclarae indolis, qua ad poësin imprimis tractandam quasi nati esse videbantur, iam ab origine gentis insita fuisse, non postea demum, tanquam de nihilo, subito emicuisse, iure credimus, deos non aliunde acceptos, sed ad suam similitudinem a se factos habuisse consentaneum est. Nec quidquam impedit, quominus antiquissimis iam temporibus inter Graecos exstitisse credamus, qui *rerum naturalium* vi ac pulchritudine capti de rerum origine, de deorum in iis disponendis, temperandis, moderandis partibus nonnulla comminiscerentur, et popularibus traderent, non ad subtilitatem adultioris Graeciae et ipsius philosophiae exacta, sed ut hominum illorum, imaginandi vi seu phantasia omnia metientium ad eamque omnia referentium simplicitas ferebat, rerum imaginibus quibusdam, quas Graeci φαντασίας vocant, repraesentata. Quae commenta, quia ad easdem res spectabant, in quibus postea subtilius versata est philosophia, non male Heynius *philosophemata* appellavit, immerito hoc nomine a Vossio irrisus; modo ne antiquos illos ea, quae excogitabant, certis ac definitis notionibus, ut nostri philosophi solent, circumscripsisse, sed hanc sapientiam sibi servasse popularibus autem non nisi quaedam eius involucra et quasi putamina tradidisse credas, quo factum sit, ut posteriores poetae haec involucra pro rebus ipsis arriperent et propagarent, quis sensus sub iis abditus esset, nescientes. Ipsi enim antiqui illorum commentorum auctores vix aliter de iis rebus sentiebant, ac verbis declarabant, ut nec Xenophanem, Parmenidem, Empedoclem, qui florente iam Graecia fuerunt, addo etiam Platonem in Timaeo, veram sententiam suam callide dissimulasse, et ea tantum scripsisse credo, quae imaginum et fictionum suavitate vacuas aures demulcerent, sed

ea, quae ſentiebant, ingenue declaraſſe. Neque enim ſermonis inopia illi a ſententia ſua diſtinctius explicanda interclusi eſſe videri poſſunt, ſiquidem et ſermonis inopia cogitandi ſubtilitatem impedire, et ratiocinandi ſubtilitas orationem ſibi accommodare ſolet; nec ſi nos in tantis artis ratiocinandi profectibus, quae illi ſcripſerunt, ad certiores magisque definitas notiones revocare ſcimus, idcirco illi quoque eadem ſubtilitate differendi uſi ſunt. Sed ut eo, unde deflexit, revertatur oratio, quum religio in ipſa Graecia orta eſſet et paulum adoleviſſet, deinde intercedentibus crebrioribus cum exteris nationibus commerciis, ubi apud aliam gentem deum coli videbant, qui propter vim, quam exercere a popularibus credebatur, vel aliam ob cauſam dei alicuius e ſuis ſimilis eſſe videretur, eum Graeco quoque nomine appellabant, eiusque munera, ſi non omnia, at ea tamen, quae ingenio gentis reſponderent, ad ſuum deum cognominem transferebant. Ita Dictynnam Cretenſem, et Bendin Thracicam cum ſua Diana confundebant, ſummum Cretenſium deum cum Iove, quem a Pelasgis hereditatis quaſi iure acceperant, deam, quae e Phoenicia in Cyprum advecta inde ad Cythera delata erat, cum Venere. Similiter Tacitus Mercurium, Herculem, Martem, Iſidem a Germanis coli ſcribit, Caeſar Herculem Gadibus, qui erat *Melcarth* Phoenicum, alii Cronum ſeu Saturnum Carthagine. Ita confuſarum et commixtarum religionum pauciſſima adhuc veſtigia in Homero exſtant, qui quamvis ſaepe Phoenices commemorans, nusquam tamen Ἑρμῆν ſeu Mercurium tanquam Phoenicibus proprium inducit; plura in Heſiodo reperiuntur *). Similia vero in ipſa Graecia accidiſſe videntur. Diverſos quidem fuiſſe diverſarum Graeciae populorum deos, quos poſteri uno nomine complexi ſint, iamdudum viri docti intellexerunt, qui Iovem Dodonaeum ſ. Pelasgicum ab Arcadico et Cretenſi diſtinguendum eſſe docuerunt, nec quidquam aliud ſignificare videntur Graeci, quum v. c. Mercurium in Cyllenio monte, alios alibi natos narrant, vel deum nomine gentili urbis, ut Iunonem Argivam, deſignant, niſi illas deorum eorum proprias ſedes,

---

*) Non intelligo, quomodo dicere potuerit Creuzer. *Symb.* u. *Myth.* T. II. p. 468 in Arcadia, quam tamen p. 467 a reliqua Graecia ſerioribus etiam temporibus quaſi ſecluſam fuiſſe dixerat, antiquiſſimis temporibus colonias Aegyptiorum vel Phoenicum conſediſſe, in eaque loca ſubliniorem cultum et ſaniorem doctrinam intuliſſe. Quis unquam tales colonias commemoravit? Quis vero credat Aegyptios et Phoenices ſedes cepiſſe in regione a mari ubique ſeiuncta et ne agriculturae quidem idonea, quam tamen ſectabantur Aegyptii, a paſtorum et venatorum vita alieni? Hoc fundamento tamen nititur tota illa Iovis Lycaei explicatio.

ubi primum colerentur, fuiſſe. Quum igitur Graeci vel bellis vel mutuis commerciis alii aliis magis innotuiſſent, deos etiam alios ab alia gente ad ſe transtuliſſe videntur, vel levitate iudicii, qua, quae ſimilia erant, eadem etiam eſſe opinabantur, vel quia deos aliarum gentium conciliare ſibi vellent. Plus tamen in hoc genere poëtae ſibi indulſiſſe videntur, hanc occaſionem fabulas variandi cupide amplexi. Hinc tot epitheta deorum dearumque, a locis, ubi primum culti erant et templa habuerant, ducta, poſt etiam alio translata, v. c. Ἀρτέμιδος ἀγοραίας, λιμναίας, etiam Ἀφροδίτης λιμνήτιδος, Ἥρας ἀκραίας et ſimilia, quibus qui reconditam aliquam deorum vim ſignificari putant, vereor, ne dum ſublimia et ſupra vulgarem captum poſita ſectantur, a veritate priſtini vitae generis quam longiſſime aberrent. Itaque hoc etiam praecipue ſpectandum cenſeo, ut, quibus Graeciae locis quisque deus primum cultus ſit, id eſt natus, ut antiqui loquebantur, quasque ibi partes ac munera, quaeve cognomina habuerit, quomodo haec deinde cum ipſo cultu in alias etiam Graeciae partes immigraverint, ubi propriam ſignificationem ſuam perdere ea neceſſe fuit, inveſtigetur et eruatur, ne, ubi deus certo cognomine aliquo loco praeditus commemoratur, ut Diana Epheſia Corinthi, ſtatim eo cognomine a Graecis communi conſenſu appellatum eum, et Dianam ab Athenienſibus coli ſolitam eamdem eſſe, quam Epheſiam, exiſtimare videamur. Hoc modo multarum etiam fabularum et origo et ſignificatio commodius, quam vulgo fieri ſolet, explicari poteſt. Ne longe abeam, quid Apollini, oraculorum praeſidi, eidemque poëtae, cum arcu et ſagittis? quod ut explicarent, Solem, partim etiam portenta et monſtra ex Aegypto advocaverunt. At conſideranti, Apollinem paſtorem iam ab Homero commemorari, et tum aliorum armenta et greges in Pieria paviſſe, tum ipſum armenta ſua ibidem habere dici, eique praecipue ſacra fuiſſe ea loca, quae Pieres Thraces inſederant, ad Heliconem et Parnaſſum et in Phocide, veriſimile videtur, huius dei cultum Pieribus illis (et ex Hyperboreis Apollinem veniſſe antiqua fama erat) patrium fuiſſe, quos, ipſos vitam paſtoritiam agentes, deo etiam tutelari armentorum ac gregum curam demandaſſe, hanc ob cauſam arcu et ſagittis inſtructo, quibus et lupos arceret (hinc λυκοκτόνος) et iratus gregibus peſtilentiam immitteret, eosdem, quum muſicam et poëſin primi Graecorum exercerent, deo etiam ſuo eas artes aſſignaſſe, cum iisque divinandi artem, quae cum poëtica facultate ſemper coniuncta videbatur; e quo poſtea, poſt Homeri demum aetatem, quum cantu morbi curari crederentur, medici etiam munus ad eumdem delatum eſt.

Praecipue vero hoc tenendum eſt, in mythis imprimis regnare phantaſiae vim ſeu eam animi facultatem, qua res animo conceptae ita

repraefentantur, ut eas coram videre nobis videamur. Eius facultatis quum haec vis fit, ut nihil indiscreti ferat, fed omnia certis notis ita infignita effe velit, ut facile inter fe diftingui poffint, non mirum eft, eum qui inter Graecos ipfos hac phantafiae vi eminuerit, Homerum fuapte natura, non ex artis cuiusdam praeceptis, fuam cuiusque dei figuram, fuum ingenium, fuos mores diftinctiffime, tanquam in tabula aliqua, expreffiffe, ut iure parens et auctor religionis et mythorum Graecorum haberi poffit. Hoc illud eft, quod Herod. dicit II, 53. de Homero et Hefiodo loquens, *οὗτοί εἰσι οἱ — — τὰς θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες.* Quum vero ad numinum, ad fimilitudinem humanam effictorum, vim definiendam et certis notis animo informandam multum referat fcire, unde quisque ortus fit, genus etiam deorum et originem indicavit, haud dubie huius rei, ut fuperioris, feminibus, quae in vulgari fuperftitione fparfa erant, exceptis. In cuius laudis focietatem ita poftea venit Hefiodus, ut omnium deorum ac dearum ftirpem exponeret, non quidem a fe excogitatam, fed ex iis, quae fama populari ferebantur, concinnatam, ut uterque *ποιῆσαι θεογονίην* Ἕλλησι ab Herodoto l. c. dici poffet. Eadem vero animi facultas quum, ut nos loqui folemus, *formam* tantum rebus impertiat, *materiam* undique acceptam, modo legibus fuis accommodata fit, veftiat, mythologiam non tantum meras fictiones poëticas, fed etiam fententias veterum de rerum origine et de univerfi adminiftratione, quae *philofophemata* recte dici poffe fupra monui *), praecepta vitae, aftronomica et phyfica, rerum aliquando geftarum fignificationes complecti confentaneum eft, haec omnia tamen ingenio Graecorum ita accommodata, ut tanquam res a diis humana forma praeditis vel heroibus aliquando gefta traderentur. Itaque ii etiam, qui mythos Graecorum vel *ἀλληγορικῶς*, ut vocant, vel ex aftronomicis aut phyficis rationibus, vel ex hiftoria explicare conati funt, ex parte verum vidiffe cenfendi funt, fed in eo erraffe, quod ex uno omnia fonte repetiverunt.

Reftat, ut quid de partibus philofophiae in mythologiae explicatione demandandis mihi videatur, exponam. Sed in hoc loco brevis effe non poffum, et tamen brevem me effe et res et tempus iubet. Itaque hanc quaeftionem in aliud tempus differam; nunc hoc tantum moneam, quod nonnulli faepe dicunt, fe in mythologia tractanda re-

*) *Allegorias* dici nolim, quia his qui utitur, aliud dicit, quam revera fentit, ego vero antiquos illos, etiam primos manfuetioris vitae inter Graecos auctores, non aliter locutos effe, ac fentiebant, exiftimo.

rum aestimationem sequi, non e vulgari consuetudine ductam, sed ex *ideis* rationi a natura insitis haustam, (tot verbis opus habui, ut declararem *höhere Ansicht*) hoc in quaestionibus de rerum natura, *metaphysica* vocant, de lege morali totaque ea disciplina, de civili scientia reconditiore optime locum habere, in historicis res non ex *ideis* quibusdam, sed ex veritate aestimandas esse et iudicandas, ut, si quis Herculis v. c. res ad eiusmodi *ideas* revocet, ingeniose eum et acute lusisse existimemus, an revera ex illis *ideis* Herculis fabulae pendeant, multum addubitemus. Sed iam ad id, quod propositum est, transeam. His enim mythicis prolusum volui actui solemni, quo natalem *Principis Serenissimi atque Indulgentissimi Augusti* crastino die in Gymnasio nostro pie celebrabimus. Ad verba facienda prodibunt quatuor Selectae classis cives:

Eduardus Ludovicus Frommelt, Isebergensis, qui *bella an quid utilitatis generi humano attulerint*, inquiret *oratione Latina*.

Fridericus Gustavus Held, Meuselvicienfis, *sermonis hominibus concessi praestantiam* declarabit *oratione Germanica*.

Ioannes Christianus Erdmann. Aneck, Pegaviensis, *laudes Germaniae* praedicabit *oda Latina*.

Fridericus Iulius Holzhauer, Altenburgensis, *Richardum I. Angliae regem*, Coeur de lion *dictum*, celebrabit *poëmatio heroico*, octonis versibus scripto.

Huius diei solennitatem ut Vos, Amplissimi Reipublicae urbisque Proceres, Gymnasii Curatores atque Inspectores Gravissimi praesentia Vestra condecorare atque adiuvare velitis, omni, qua par est, observantia rogamus atque obsecramus.

Altenburgi a. d. X. Cal. Decembr. 1821.